

ter autem in hac proportione summam extre-
morum æqualem esse termino medio bis-
sumpto.

Ex demonstratis de proportione geometri-
ca pendet vulgatissima arithmeticæ operatio
quæ *regula trium*, vel etiam *regula aurea*
propter eximiam utilitatem appellari solet:
per hanc regulam datis tribus terminis in-
venitur quartus proportionalis. In hac au-
tem operatione probe observari debet termi-
norum ordo. Et primo quidem consideran-
da est quantitas quæ est ejusdem generis cum
quantitate quæsita. Ex quæstionis natura in-
telligitur an quantitas data sit major vel
minor quantitate quæsita; si major sit, jam
maxima ex aliis duabus quantitatibus in ter-
minorum ordine ad sinistram scribi debet:
at si minor sit, tunc duarum aliarum quan-
titatum minima ad sinistram, alia autem ad
dexteram collocanda. Constituto autem con-
venienti terminorum ordine, jam ex præ-
scripto regulæ, productum ex secundo ter-
mino in tertium per primum terminum di-
vidi debet. Tota res exemplo perspicua fiet.
Hæc proponatur quæstio: Si triginta opera-
trii dierum 12 spatio opus aliquod absolvant,
quæritur necessarius operariorum nu-
merus ut idem opus 18 diebus absolvatur.
Quoniam quæritur operariorum numerus;
primum considerandus est numerus 30; sta-
tim autem vides numerum illum datum ma-
jorem esse numero quæsito; quare numerus
18 ad sinistram collocari debet, numerus au-
tem 12 ad dexteram, atque ita operatio pe-
ragitur, hoc ordine.